

& in scirpo nodum querit. Commiseratio bonæ mentis index est, & animorum errantium, licet obstinatissimorum, illicium simul ac glutinum. Cavillationem omnem procul habet, & affectibus fibulam imponit, nè in censendo exorbitent. Acrimoniam vitat æquè ac fastidium. Sufficit animo pio errorem de tegere, ita ut errantem non exulceret, aut lectori non pariat nauseam. Quicquid excusationem, aut benignam interpretationem pati potest, id dissimulat ac præterit tanquam non animadversum. In leviculis hæere nec vult nec potest. In maioribus hæret, sed sine morfu, sine affectu. Hæc si perpendissent Doctores Academici, nec tam inclementer, nec tam illiberaliter, nec tam iniquè in censendo se gessissent. Sed hanc monelam supercilium eorum non capit, & crudelissimus animus in tuto est, quando magni Zeli specie tegitur.

Examen Censuræ Præfationis.

Censuram ipsam quod attinet, ea versatur circa præfationem Confessionis, & circa articulos Confessione comprehensos.

Censura quæ circa præfationem versatur, multas habet λεπτολογίας & minutias, quas in pulverem pænè secuit Censor. Nos eas non consectabimur, sed silentio & contemptu vindicabimus, indignæ enim sunt Censore serio. Injurias etiam, convitia, scommata & calumnias, quibus hic illic respersa est, negligemus. Magni animi est ad istas habere nolle, nec aurem, nec linguam. Tantum ea tangemus, quæ speciem justæ Censuræ habere videntur, & lectorem maximè remorari, atq; in Confessionem iniquiorem reddere posse credimus. In limine ipso, magnitudo & prolixitas præfationis offendit Censorem; Nempe verbo simul ac semel dicta vellet omnia idq; ad prescriptum artis. Usq; adeò ad Scholarum regulas ac formulas aduëfactas habent aures oculosq; Doctores umbratici, ut nihil sapiat nisi quod ad amussim earum accuratè exactum est. Cum proportione scribendum est & oratio elaboranda veluti trabs ad libellam, nè quid extet aut protuberet: Alioquin delicatæ aures & tenelli oculi istorum Magistrorum dolent, tanquam si monstrum informe viderent, aut tonitru audirent, fragoremq; è cælo. Ista vanitas trivialis est, quam libenter relinquimus Scholæ mancipijs, & ijs qui doctè & ex arte malunt scribere quàm in gratiam & ad captum eorum, qui legunt aut audiunt. Sufficit quod præfatio sit sine affectibus. Hi non decent Christianos, & qui veritatē libenter alijs persuad-

Sarcasmus
Censoris de
Præfationis
magnitudine
refellitur.

persua-